

dubitationem omnem absciderat, sed addidit, vt opinor, hoc verbum ne Stilbonem Senecæ reiiciam facit.

## PITTACVS MYTHILENAEVS.

**P**ittacus Mythilenæus, Tempus agnoscere præcepit: Quod siue opportunitatem atque occasionem, ne quid intempestiuè agamus aut loquamur, cum omnia tempus suum habeant, siue temporis præcipitem fugam, cui nullo modo præter quàm bonis & gloriosis actibus resistitur, concernit, vt secundum primum sensum rebus aptum tempus discernamus, secundum alterum, tempore parcius vtentes, rem angustam & irreparabilem, quo vno possumus remedio laxemus: qualitercunque, inquam, sapienterque consulitur.

## PERIANDER CORINTHIUS.

**P**eriander Corinthius, ait: Meditatio totum. Sic est haud dubiè, quicquid acturus es, antequam incipias meditare, vt ratio adoptatum prouehat finem: alioquin periculosè quodlibet aggredieris non Rationi, sed casibus obsequens fortuitis: Illud quoque verissimum: Totam docti hominis vitam in meditatione consistere: Rectè itaque dictum est: Meditatio totum.

LYCVR